Q. D. B. V.

DISPVTATIO MEDICA INAVGVRALIS

DE

AFFECTIBVS AVRIVM IN GENERE,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ AC MONTIVM, ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, & reliqua,

SVB PRÆSIDIO

GEORGII VVOLFFGANGI VVEDELII,

HEREDITARII in Schwartza/

MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CAESAREI, CONSILIARII ET ARCHIATRI DVCALIS SAXONICI, THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII,

Patroni, Præceptoris ac Susceptoris omni pietate ac filiali cultu prosequendi,

PRO LICENTIA

Summos in arte Medica honores, insignia & privilegia MORE MAIORVM legitime capessendi,

PVBLICÆ VENTILATIONI EXPOSITA

a

CHRISTIANO FRIDER. Schelhaß/

Jenensi,

IN AVDITORIO MAIORI,

Horis ante- & pomeridianis consuetis, A. D. Mart. A. C. M DCCV.

JENÆ, LITTERIS CHRISTOPH. KREBSII.

VIRO

Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo,

DOMINO

ADOLPHO CHRISTIANO Schelhaß/

Jur. Utr. Doctori celeberrimo,
Curiæ Provincialis Advocato Ordinario Seniori,
nec non Reipubl. Jenensis Consuli gravissimo,

DN. Parenti, omni honoris, amoris, & obsequii cultu devenerando,

DISPUTATIONEM HANC INAUGURALEM,


Ob maxuma beneficia, in perenne obsequii & gratitudinis debitæ monumentum, observanti animo, *piaque manu, cum voto omnigenæ prosperitatis*

offert

FILIUS OBSEQUIOSISSIMUS
Christianus Fridericus Schelhaß.



PRÆFAMEN.



Vid homine amabilius? quid iucundius? quid magis perfectum? Omnium creaturarum est nobilissima, elegantissima ac perfectissima, in qua benignissimi Creatoris sapientiam & omnipotentiam admiramur, veneramur.

Gaudet corpore & anima eaque rationali, quæ nulli animalium contigit. Structura corporis elegans, omnes ipsius partes tam concinne fabrefactæ, & eleganter cohærent, vt hinc etiam recte microcosmus dicatur.

Quando igitur totus homo ita constructus, vt nihil in ipso amplius desiderari queat, non adeo mirandum, quod in vna etiam parte, maxime organica, tanta sit perfectio & excellentia, vt per totum vitæ nostræ spatium illam non satis admirari, nedum perscrutari valeamus.

Cogitemus modo organon auditus, cuius omnes partes affabre inuicem respondent, quæ partim molles, partim solidæ sunt, quot meatus, ductus, canales, & quæ gyrationes inibi non reperiuntur? In his enim radii sonori recipiuntur, reflectuntur & clare distincteque percipiuntur, nisi illis aliquod vitium obrepat.

Mechanica sane auris admiranda est, vt cum oculo certare possit omnino. Obuias in hoc magis videas par-

tes externas & internas, tunicas, humores, neruum opticum, musculos, multaque vasa oculo subseruientia, ad viuum quasi delineata, etiam in oculo artificiali curate expressa, non item in aure, cuius adhuc dum nondum similiter schema extat, quod respectiue sit minus imitabilis.

Vsu potest non minus cum omnibus sensibus certare, tactu, gustu, olfactu sine dubio præstantior, visum vero ipsi nonnulli præferunt, sed visu dignior hac quoque ratione dici potest auditus, quoniam per ipsum homines doctiores redduntur, quam per visum; omnis enim bona doctrina, iuxta communem opinionem, viua voce hauritur; adeoque auditus visu hoc sensu latius patet, vel æquis passibus saltim ambulat.

Sicuti vero quo subtilior machina quælibet, eo etiam facilius labem incurrit; ita etiam aures suos patiuntur manes, morbis varii generis corripi solitæ. De his cum inpræsentiarum agere animus sit, faxit diuinum numen, vt feliciter omnia cedant.

CAPVT I.

Oeconomiam auris sistit.

CVm læsiones aurium, quæ medicam considerationem & opem ex omni aut aliqua parte admittunt, pertractare in animum induxi, non vero sollicitus in euolutione deriuationis & appellationis nominis, quæ parum interdum inseruit rei illustrandæ. Partes solum aurium recensere & præmittere, quarum notitia medico æque vtilis ac necessaria est, non erit incongruum.

Auris igitur hic spectata communiter & apte in exteriorem & interiorem diuiditur. Exterior in homine auricula

voca-

vocatur, quæ iterum in superiorem & inferiorem ab Anatomicis dispescitur, quarum illa pinna & ala, hæc vero lobus audit. Ambitus exterior auriculæ, figura circulari, helix, pars ipsi opposita antihelix nominantur, vtraque cartilagineæ substantiæ. Eminentia in antica parte, quæ ad temporum ossa vergit, tragus, in postica vero parte antitragus nominatur. Cauitas magna auris exterioris, quæ radios sonoros excipit, & ad meatum auditorium defert, concha dicta, multis glandulis est referta.

Partes aurem constituentes porro sunt vel communes, vt cuticula, cutis, membrana neruea, & panniculus carnosus, in lobo parum pinguedinis annotatur: hæ enim non absolute & vnice vsum præbent auri, sed aliis partibus capitis quoque inseruiunt; vel propriæ, cuius generis sunt musculi, vasa, glandulæ & cartilago, ex quibus immediate auris constat.

Musculi auri exteriori quatuor, ad modulum eorum qui in oculis sunt, nempe attollens, deprimens, adducens, abducens, attribuuntur & recensentur, ab officio suo nomina hæc indepti, de quibus fusius Anatomici agunt. Alii vero aurem exteriorem musculis destitui asserunt ex illo fundamento, quia auris in homine nec mobilis sit, nec ad audiendum motu vllo indigeat, putatitios potius esse & partem panniculi carnosi constituere aiunt. Satis est, variare hæc, ac ludere, reuera tamen auribus non omnem motum abrogari posse, siue communem illum statuamus, panniculo carnoso debitum, cum facie, cum fronte inprimis, qua pro lubitu caperata ad sensum idem demonstrari potest: siue proprium, quamuis non ita manifestum.

Vasa, præter glandulas excrementum secernentes, quæ auri priuatum quendam vsum præstant, sunt vel venosa, hæc enim principium suum habent a venis iugularibus externis, vel arteriosa, quæ a carotidibus externis originem suam ducunt. His non incongrue annumerantur lympha-

tica, quæ collo inseruntur: neruosa vero a secundo pari ceruicali, item quinto & septimo huc disperguntur, quæ in dissectione colli se oculis sistunt, musculis glandulisque vsum exhibentia.

Sub auribus remota cute conspectui sese sistunt glandulæ insignes, peculiari ductu gaudentes, (Stenoniano dicto) quæ parotidum nomine veniunt; non procul ab his aliæ visuntur sub maxilla, quæ probe ab inuicem distinguendæ.

Visis iam partibus externis nec non communibus cum propriis, interiora auris, quæ proprie & κατ᾽ ἐξοχὴν hunc titulum possidet & meretur, nunc paulo penitius sunt perlustranda. Post concham, quæ cartilaginea est, visitur meatus auditorius, totus quoad basin osseus, qui curuus ac obliquus paulo est, & ad sonum distinctiorem efformandum facit, ne ille recta via pergendo, si fortior fuerit, membranam tympani perrumpat, vel minimum lædat. Tanta est huius membranæ dignitas vsusque, vt si quidpiam anterius interiusue ipsi insuetum opponatur, auditus detrimentum patiatur: eadem internum meatum auditorium ab externo quoque seiungit.

Remota membrana occurrunt quatuor officula, malleus, stapes, incus, & os orbiculare, a similitudine rerum, quas rudi quodam modo exprimunt, quorum vsus attendi meretur tanto magis, quanto curiosiori gaudent mechanica. Liceat nobis illum specialem ex generali & communi, sed specificatum arcessere, præbere & illa, præter εἶδος organo conforme, στάσιν & ὀρθότητα, *firmitudinem & rectitudinem*, chordam æmulari in tympano, elaterem tympani roborare & firmare, adeoque ad sonorum refractionem non parum facere nexu illo suo.

Sequuntur iam musculi auris interioris, si curiosiores oculos sequamur, quorum tres numerantur, duo mallei, externus & internus, & vnus stapedis proprius. In secunda cauitate obseruantur duo ductus, quorum vnus aquæ ductus

Eusta-

Eustachii, ad palatum & cauitatem narium tendit, hic longior altero, qui a cauitate ossis mastoidei incipit, & in cauitate tympani desinit. His meatibus iunguntur etiam duo foramina, quorum vnum fenestra oualis, alterum rotunda nominatur, vtraque labyrinthum respicientia.

In meatu auditorio inuenitur neruus acusticus dictus, insignis satis, quem chordam a quibusdam alias appellatam legimus. Oritur hic a protuberantia processus annularis, & in transitu per foramen acusticum, in duos secatur ramos, quorum vnus superior & crassior dicitur mollis, quia mollior & tenuior est altero, inferior vero ramus dura portio, quia compactior & fibrosior paululum illo, audit. Ille ramus duos alios surculos emittit, qui cochleæ implantantur, & in membranam tympani eiusque musculum sua expansione desinunt, vnde hic sedes sensus auditus statuitur.

Tacemus labyrinthum, cochleam, os petrosum, annulos osseos, & reliquas partes auri vel proprias, vel ratione connexionis & situs ipsi commodum aut damnum afferentes, de quibus pluribus hac vice agere supersedeo, quia non æque ad præsens negotium faciunt, & acta me acturum vereor, prolixius enim de his Anatomici in suis libris disserunt, & in specie de organo auditus doctos & elegantes, cum adiectis figuris & schematibus, Viri celeberrimi *D. D. Schelhammerus*, P. Medicinæ Kiloniensis Primarius, affinis honoratissimus, & *Du Verney*, Anatomicus Regis Galliarum, tractatus edidere, qui & separatim, & in Bibliotheca Anatomica Tom. II. Parte I. de capite coniunctim extant. Huc referenda etiam venit disputatio admodum rara & erudite conscripta *D. D. Ernesti Henrici Wedelii*, sub præsidio *D. D. Schmidii* hic loci ante aliquot annos ventilata, quæ inscribitur Auris *θεοδείκτος*, vbi in cap. I. de auris machina agit, ad quam explicandam varias machinas adducit, qui scriptores inuicem collati lectorem abunde in hac materia erudire possunt.

Variam ac perutilem considerationem admittunt partes tam propriæ, quam communes, aurem componentes & efformantes, vbi procul dubio prima erit instituenda ratione consistentiæ, vbi aliæ sunt molles, aliæ densæ, aliæ sanguifluæ, aliæ exsangues. Secundo non minus habenda erit ratio situs harum partium tam s. n. quam p. n. & connexionis inter se & cum aliis. Tertio ratione vsus partium modo recensitarum, quidque tam actiue commodi, quam passiue detrimenti subire possint. Harum, inquam, pensitatio occasionem subministrabit agendi de variis affectibus, quibus aures, ad percipiendas species sonoras organum exquisitissimum, obnoxias per multorum experientiam constat. Ex quibus in sequentibus præcipuos in medium adducere suscipiam.

CAPVT II.

Præcipuos aurium affectus recenset.

MAgnum commodum afferre notitiam & historiam constitutionis naturalis & p.n. partium corporis, tam in dignotione læsionum, quam in curatione ipsarum nemo inficias ire poterit. Elucet id maxime ex opposito, quando ægri hoc vel illo affectu correpti, se curæ harum rerum ignaris, & irrationali empiriæ deditis committunt, qui læsiones paruas sæpius grauiores reddere, & pro habitudine partium læsarum mortem nonnunquam inferre solent. Tantum interest scire structuram corporis & constitutionem partium secundum naturam & p.n.

Consideratio læsionum quoad internam & externam sui ipsarum dispositionem & naturam institui potest: cuiusnam generis, indolis & classis morbus hic vel iste existat, in qua parte & loco sedem suam habeat & radices agat.

Secun-

Secundum hanc considerationem quemadmodum omnes corporis nostri affectiones & læsiones examinandæ, ita non minus morbi aurium hac methodo tractari possunt. Ad hanc læsionum naturam & constitutionem indagandam spectant considerationes variæ, & quidem inprimis partium ratione consistentiæ, cuius saltim mentionem inieci. Sic partes ordinarie molles interdum indurantur & rigescunt, licet paulo rarius id obseruetur: constat tamen cerumen aurium instar gypsi inspissatum meatúmque auditorium oppleuisse, quid quod lapidescere, & lapides cum ipso excretos fuisse, de quo phænomeno videatur Bartholinus obseru. 45. volum. 1. Actorum. Commode hic in memoriam mihi incidit, me a viro insigni & fide dignissimo audiisse, se ex propria aure aliquando deprompsisse frustulum ceruminis indurati, quod colore, consistentia & pelluciditate simile fuerit succino, quod adhuc adseruat. Hic vir vero laborabat auditus difficultate. Membrana tympani rigida nonnunquam euadit ob nimiam siccitatem, præsertim in senibus.

Partes porosas, sub quibus musculos & vasa varia, quæ sanguinem, serum & lympham, vno verbo humores ad aurem & caput modo ducunt, modo abducunt, comprehendo, obstructionem, infarctum, inflammationem & eiusmodi accidentia alia subire, experientia testatur.

Partes tales sanguinis commeatui patentes, congestione huius copiose directa ad illas, turgidæ & repletæ ad notabilem distensionem perueniunt, inde diuersos earundem tumores tum vniuersales, tum particulares ortos nouimus; quando igitur extraordinario infarctu & stasi sanguinis partes afficiuntur, tunc rubores & inflammatorii affectus manifesto deprehenduntur.

Nec partes interiores aurium sanguini transitum con-

concedentes ſtaſi & infarctu ipſius correptæ ab inflammationis periculo immunes ſunt, nam morſus, pruritus & dolor immanis, qui his in partibus ſeſe exerunt, eam ſatis indicant. A partibus exterioribus turgidis & inflammatis afficiuntur quoque interiores. Sic membranam tympani relaxatam ſuffarctu inſueto partium externarum ſæpius viſum fuit, quo a tono ſuo deiecta, vt officio ſuo perfecte ſatisfacere non potuerit. Partes quoque interiores a copia humorum inflatæ cohibent & impediunt, quo minus ſonus ad interiora ferri, vel ſaltem non ita diſtincte percipi poſſit, vti mihi obſeruare licuit talem caſum: Perſona quædam laborabat eryſipelate, quo vnum latus capitis & colli inſigniter tumefactum & inflammatione affectum erat, vt ægre & difficulter voces alloquentium exaudiret durante hoc malo, indicio certo in cauſa fuiſſe congeſtionem humorum inſolitam ad has partes directam, tendentem & hic ſtagnantem.

In inflammationibus partium dictarum notatur non raro & ſeorſim tumor parotidum ſeu glandularum pone aures.

In partibus vero, quæ ſerum lymphaticum vehunt, affluxus modo nimius, modo interruptus & impeditus quoque deprehenditur, qui cum diu hic durat & ſubſiſtit, ſuppurationem cauſat: humores enim ſtagnantes vitioſi & ad ichoreſcentiam proni, eroſionem & vlcerationem partium efficiunt, vnde manatio interdum perpetua, & viæ nouæ aperiuntur.

Si nimius circa has partes in vaſis ſeroſo-lymphalibus humorum tenuiorum affluxus contingit, tinnitum & ſibilum aurium frequentiſſime producit.

Exterioribus & interioribus aurium partibus admodum ſolenne eſt ſymptoma, otalgia, ſeu dolor aurium, qui ſæpiſſime ab inflammatione partium tum externarum, tum internarum, v. g. nerui auditorii, membra-

næ tympani cooritur, qui pro diuersitate causarum & gradus admodum variat.

Meatus ad interiora auris ducentes nunc aperti teguntur, nunc tecti aperiuntur. Dextram aurem a natiuitate occlusam perhibet obseruatio 178. Anni VI. Ephem. Germ. Ductus patentes, & permeabiles alias, obstruuntur & clauduntur modo a sordibus contentis induratis, modo a tumoribus, excrescentiis fungosis & carneis, carunculis, verrucis, intus vtplurimum post vlcerum & abscessuum generationem, & intempestiuam factam consolidationem, relictis, a quibus, præter alia symptomata, difficultas & grauitas auditus, nonnunquam vero ipsa surditas natales suos duxit. Spectat huc & illud phænomenon, quando partes ab inuicem distantes & spatium intermedium admittentes interdum coeunt & coalescunt.

Aperiuntur interdum in his partibus nouæ quasi viæ, vti in perruptione vasculorum lymphaticorum aliquando, ne dicam & oscillorum venosorum, quando sanguis emanat, vel tympani contingit ipsius. In moribunda fœmina dysenterica ex aure auram frigidam exiisse visam prægresso sibilo annotauit D. Præses, susceptor & præceptor æternum deuenerandus, in Pathologia Dogmat. p. m. 544. Marcellus Donatus in historiis medicis mirabilibus fluxum aquæ claræ limpidæ ex aure manantem a suppressione vrinæ in puella 13. annorum obseruauit.

Rarissimum accidens in auribus est menstruus aurium fœtor, & fluxus materiæ copiosæ, tenuis, acris & plane croceæ ac fœtidæ, cuius meminit Franciscus Paullini obseru. VIII. Dec. II. Append. Ephem. Germ. Dec. II. Anni II. Mitto nouarum viarum apertionem per abscessus, vlcera, fistulam & cariem factam.

Ratione situs partes quædam aurium e loco & sede

ſua dimouentur & detorquentur, vti partium mollium v. g. muſculorum externorum & internorum nonnunquam mutatio accidit: ſolidarum vero dimotio & dislocatio tanto rarior obſeruatur, quo minus eam oculis luſtrare conceſſum eſt, quando ſcilicet oſſicula illa minora ab inuicem ſemouentur & e loco ſuo truduntur, motus decens aufertur, indecens vero inducitur. Oſſicula enim hæc ad motum membranæ tympani facere, eiusque dilatationem, conſtrictionem atque tremulationem pro rei indigentia efficere, colligere integrum eſt, quorum dislocatio non reſtitui poteſt. Nec admodum credibile eſt, poſſe ſitum partium auris internarum, adplicatione ad res valde ſonoras & concuſſionem excitantes mutari.

Et hic affectus non eſt negligendus ratione motus debiti, ſi membrana tympani nimis laxa eſt, vt a radiis ſonoris non legitimo modo intendi & remitti queat, quæ mouendi actiuitas vel ex toto vel ex parte tantum modo labefactatur, modo infringitur.

Nec ille affectus male ſe habentis auris oppido rarus eſſe ſolet, ſenſationis videlicet vitium, quo non tam manifeſto organi auris vitio, quam præcipue interioribus ſubtilioribus nerveis filamentis læſis, tum interna cauſa, tum externo caſu auditus imminuitur modo, modo depravatur. Senſus in partibus organi propriis v. gr. in nervi auditorii læſione nunc labaſcit & deficit, aliquando vero increbeſcit & excedit. Sic ex ſenſationis vitio auditus incommoda quædam patitur in tinnitu, vti hoc laborantes exiſtimant ſe reuera ſonos audire, velut tinnientis campanæ, ſtridentis & ſtreperæ aquæ, aliosque, quos tamen domeſticos habent, & aures intra ſeipſas formant. Et licet nonnunquam ſonum vehementiorem & fortius loquentes audiant, tamen remiſſius & ſubmiſſe loquentes non percipiunt, certo tempore vero non poſſunt

ob organi

ob organi acutiem etiam submiſſe loquentes ferre, quod tamen rariſſime euenit.

Ad has modo recenſitas affectuum claſſes læſiones aurium non ſolum iam tactæ ſpectant, ſed etiam, quæ adhuc ſuperſunt, facili negotio referri poſſunt.

CAPVT III.

Euoluit cauſas præcipuas tam remotiores quam propinquiores affectuum aurium.

PErtractata hactenus hiſtoria partium & læſionum aurium, proximum jam eſt ipſarum cauſas inueſtigare, ſine quarum notitia & cognitione intimiori therapia ſalutaris minime inſtitui poteſt. Conſtat enim, ſublata cauſa tolli facile effectus. Aſt hic prolixitatem omnem euitabo, & breuitate in enumeratione occaſionalium cauſarum vtar.

Examinaturo iam cauſas remotiores & propinquiores latiſſimus panditur de his diſſerendi campus, inter quas primas tenent externæ, ad hos affectus excitandos aptæ & procliues, quarum ſatis multæ recenſeri poſſent, ſed absque dubio eo tendunt, vt partim irritando & laxando appulſum humorum ad has partes modo inuitent, modo augeant; partim ſtagnando, pungendo & diſcontinuando texturam auris velut dilacerent: nonnullæ ipſis aurium partibus & conformationi ipſarum teneriori labem inferendi & lædendi

vim habeant, culpa omni summatim vel in spiritus, vel in humores, vel organum ipsum redundante.

Affluxus humorum ad has partes contingit & quodammodo inuitatur, quando partes porosæ, aere ambiente crassiori & humidiori existente, relaxantur. Valet id maxime in iis subiectis, quæ catarrhis seu defluxionibus ad caput, & ad organa hæmorrhagiæ & coryzæ excretioni dicata, exposita, vel prout patiens temperamenti est sanguinei aut phlegmatici, ita frequentius tales patitur affectus. Assuetudo quoque non parum contribuit, licet non immediate ad aures, sed ad caput in genere congestio & appulsus humorum dirigatur, & debita euacuatio per organa excretoria non succedat.

Si igitur ad has partes specialius coaceruatio suscipitur, hinc stagnatio sanguinis, seri & lymphæ, eo promptius contingit, cum debitum exitum non consequuntur. Inde catarrhalis seroso-lymphalis consistentiæ congestio in partibus exsanguibus, vel inflammatoria, rubicunda & suppuratoria communiter oriri solet in partibus sanguinis comeatui peruiis.

In laudatis itaque subiectis etiam leui data occasione non solum ad caput, sed etiam ad has partes specialius promptus & copiosus affluxus humorum obseruatur; exinde haud infrequenter difficultas & grauitas auditus ortum suum ducunt.

Notandum vero hic, quod hi affectus eo casu sæpe magis transitorii esse soleant, & pro corporis habitudine, & concurrente aeris alteratione & mutatione, modo grauiores & sensibiliores, modo leuiores & vix sensibiles euadant. Hæc est causa affectuum aurium inflammatoriorum serosorum & suppuratoriorum, quæ cum irritatione & acrimonia vel maiori vel minori coniuncta est.

Dicti hi tumores, inflammationes & dolores, auribus familiaria symptomata, a congestione & stagnatione

san-

sanguinis inprimis & seri circa caput hærentis eueniunt, & se inuicem excipiunt diuerso modo & gradu. De doloribus aurium certum est, quod maxima ex parte effectus sint tumoris & inflammationis, & vice versa. Pro horum igitur vehementia & leuitate, appulsu & transpulsu sanguinis & seri intenso vel remittente dolor variari solet, ex eoque æstimari etiam reliqua. Si affluxus crescit, augetur tumor, inflammatio, & alia symptomata sequuntur, patiens penetrantem & admodum molestum sensum percipit. Pro materiæ vero contentæ qualitate dolor exacerbatur, vt sensum ardoris, pulsationis, lancinationis, punctura & erosionis percipiant & exprimant ægri. Membrana, qua tegitur tota cauitas interior auris, diros patitur dolores, ob sensum exquisitum, quo pollet, quippe ex filamentis nerueis constructa, ob eius distensionem, inflammationem & nonnunquam dilacerationem, saltim intentatam.

Moles partium augetur in parotidibus, colliguntur sensim in his humores peccantes ob partium modo laxitatem atque debilitatem, modo ductuum angustiam crassitiemque humoris contenti. Contingunt tales sæpius a morbis prægressis v. gr. variolis & febribus, natura materiam ibi deponente per modum criseos. Interdum vero hic affectus alios morbos & haud raro lethales inuitat, præsertim si a partibus ignobilioribus, brachiis, cruribus, materia peccans ad glandulas has per μετάστασιν transmittitur, inde cerebri læsio, febris, phrenitis, dolores, vigiliæ & multa alia symptomata ortum suum agnoscunt.

Irritationem, rosionem, sensumque molestum partibus externis & internis aurium inferunt varia, acria ex salinorum genere, puluerulenta, aspera & nimis calida extrinsecus adplicata. Eundem sensum conciliant humores vitiosi stagnantes exitumque ruptione molientes, qui pro ipsorum copia & acrimonia immediate teneram

auris ſtructuram erodunt & dilacerant. Inſecta ingreſſa, vel etiam ipſorum ſeminia in aurem depoſita vitamque nacta non minus inſignem noxam texturæ, & grauiſſima iam dicta ſymptomata afferunt; Vti a vermibus, ab exulceratione auris dextræ, in quam muſcæ, cum ſub dio æſtate capite nudo ruſticus dormiret, ſua ſpermata peperere, generatis, inexplicabilem dolorem, cum texturæ auris læſione ortum refert Autor Obſeru. 57. Anni II. Dec. II. Ephem. Germ.

Similiter ſtructuram harum partium violant & deturpant abſceſſus, vlcera, & quæ ſunt alia huius generis, in auribus vel pone aures exorta, maxime ſi in glanduloſa ſubſtantia exiſtant, quæ vitia difficulter admodum & tardius conſolidationem admittunt. Quamdiu enim vnitas eius ſoluta eſt per ductus quaſi nouos apertos, humiditas ſeroſa & tenuior perpetuo exire ſolet, maxime ſi aeri libero pateant, & niſi abſterſio humidi excrementitii per debita remedia conuenienter inſtituatur, conſolidatio nulla fit, adeoque affluxum effluxus interrupta ſerie inſequitur. Spectat huc abſceſſus prorſus inſolitus, quem paſſus eſt venator, qui prægreſſis ſummis doloribus capitis abſceſſum aurium expertus fuit, quo multum puris & ſaniei vna cum animalculis nigris quamplurimis effluxit, in quam cauitatem auriſcalpium vsque ad digiti longitudinem absque dolore immittere poterat, cuius meminit Gregorius Horſtius Libr. IX. obſeru. 8.

Ab eroſis igitur & exulceratis glandulis in his partibus occurrentibus ſæpiſſime humoris affluxus, manatio effluxusq; annotantur, facta διαπηδήσει, ἀναστομώσει, vel διαιρέσει quoque. Hinc & caries in aurium oſſibus nonnunquam, licet admodum raro, contingit, quæ & obſeruatur poſt abſceſſus eiusmodi pone aures exortos. Simili in caſu obſeruata quoque fuit fiſtula, referente itidem DuVerney l. c. ſupra apophyſin maſtoidem repens, quæ in ipſius

ipſius ſinuoſitates penetrauit. Quin & meatus ad interiora auris abeuntes ſuos patiuntur manes, dum variis modis obſtruuntur ductus peruii atque hiantes, modo ſordibus contentis induratis, & excreſcentiis intus generatis, modo ab extra immiſſis variis corporibus, & ita magnum auditui detrimentum affertur. Quod prius obſtructionis genus attinet, memini me nouiſſe aliquando ſtudioſum, qui ex incuria a cerumine aures intra longum temporis ſpatium non purgauerat, cuius poſtea excrementi tanta copia accreuit, vt dolorem inde & difficilem auditum reportaret. In eam vero incidebat opinionem, quando digito tangeret ſordes illas, eſſe adhuc membranam auri obductam, (huius membranæ intra ductum auditorium formatæ & auditus grauitatem cauſantis meminit quoque Du Verney l. c.) cuius remouendi gratia Chirurgum adibat. Admouens hic inſtrumentum, deprehendit cerumen copioſum & paululum induratum, quo exempto dolor & audiendi difficultas ceſſabant. Obſtructionis hoc modo factæ mentionem iniicit quoque D. Præſes, in Pathol. Dogmat. p. m. 541.

Obſtruuntur frequenter quoque cauitates aurium a carne, callo, verrucis & ſimilibus excreſcentiis, intus poſt vlcera & abſceſſus productis, a quibus pro ipſarum magnitudine ſæpiſſime auditum deprauatum & imminutum ortum multorum experientia teſtatur.

Huc referri quoque meretur meatus auditorius occluſus a tumore glandularum, quæ aliquando adeo intumeſcunt, vt eius parietes velut coeant & ſe mutuo tangant. Refert hunc caſum Du Verny, libro ſæpius a me citato, de nobili iuuene, cui vere & autumno euenerit, cum graui auditu, hæc obſtructionis ſpecies, cum glandulæ ſero ſuperfluo imbibuntur, vt aeris & ſonitus ingreſſum prohibeant.

Et intrusis variis corporibus in aurem meatu obstructo non potest non difficultas auditus & grauiora symptomata oriri; obstructione quippe hac accessus præcluditur illabenti sono, vt vel difficulter, vel plane non percipiatur. Sic calculum, fabam, pisa, siliquas, nucleos cerasorum & alia intrusa malum hoc peperisse, obseruationes quamplurimæ testantur. Hildanus obseru. IV. cent. I. mentionem facit puellæ decem annorum, cui globulus vitreus in cauitatem auris intrusus, a quo non solum dolores, sed etiam dira symptomata cum auditus imminutione orta fuere.

Iam tempestiue recordor similis historiæ, quam Halæ Saxonum accidisse retulit mihi Excell. D.D. Hoffmannus P.P. Celeberrimus, Patronus & Præceptor plurimum colendus. Infanti 2. vel 3. annorum ludenti pisis forte fortuna ab alio in ipsius aurem insinuatur pisum, elapsis abhinc aliquot mensibus intumescit auris, turgido facto piso, a vapore exsudante, inflammatio, dolor, difficultas auditus, & alia grauiora mala superueniunt, tentatis frustra multis remediis. Sedata vero inflammatione & sternutatione forti excitata pisum foras iterum eiectum fuit. Pariter surditatem a piso in aurem illapso ortam refert obseru. 164. Dec. II. Ann. II. Ephem. Germ.

Neruus auditorius, qui in duos notabiles ramos dispescitur, haud raro obstruitur & comprimitur quoque, quo debitus spirituum animalium influxus impeditur & cohibetur, qui debitum robur seu tonum inferre solent. Illo vero influxu intercluso non leue incommodum percipitur in auditus negotio, & ita hunc affectum non immerito ad illorum censum referre licet, qui ex obstructis aurium ductibus proficiscuntur.

Contingit obstructio & compressio huius nerui vel ab externa causa, lapillo, nucleo &c. intrusis, vel ab interna, a scirrho, verruca, carne adnata, aut sordibus in-

duratis, aut humoribus craſſis, imo & a ſubſidentia, a fixitate ab acido, cauſa vel communi cum cerebro, vel propria & domeſtica.

Læditur enim auditorius neruus & ipſe auditus ab intemperie cerebri, vbi illius ſtructura male ſe habente ſurdos & ſurdaſtros vel a natiuitate, vel etiam aliquo tempore poſt factos obſeruationes affirmant. Læditur & affecto corpore & in aliis morbis non vnis.

Partium exteriorum conformatio inſigniter læditur, ſi auris exterior tota abſcinditur, vel tantum mutilatur, vnde auditum hebetiorem factum fuiſſe conſtat, quippe ſoni collectio & refractio ſic rite haud amplius fieri potuere.

Quæ organicam partium auris texturam proximius afficere & lædere ſolent, ea minus ſenſus fugiunt. Ex horum claſſe potiſſimum ſunt cauſæ occaſionales prægreſſæ, vti eſt e.g. admotio aurium ad res vehementem ſonum edentes & fragorem excitantes, qua de cauſa multos ſurdos vel ſurdaſtros tantummodo euaſiſſe certiſſimum eſt, quippe a bombardarum & tormentorum explosione, campanarumque ſonitu, nec minus terrifico tonitru non tantum auditus organon debilitari, ſed etiam inſigniter lædi, triſtis experientia docet. Experiuntur hanc læſionem cum maximo ſuo damno tormentorum exploſores, & alii, qui circa res valde ſonoras occupati ſunt; vt etiam huc illud dictum de cauſa læſionum ſenſuum externorum optime valeat: Omne ſenſile excellens lædere ſenſus.

Longe magis manifeſtæ ſunt externæ illæ læſiones, quæ modocunque continuitatis ſolutione, vulneratione, arroſione, concuſſione, compunctione partibus aurium notabilem labem affricare & affectus recenſitos inducere poſſunt.

Membranam tympani perforatam & ruptam paſſim

obseruationum scriptores annotarunt ; sed ex multis vnicam tantum obseruationem Thomæ Bartholini ex Cent. IV. 29. allegabo, quæ refert difficultatem auditus ortam a tympano auri prætenso aurifcalpio diffracto, qui casus adhuc hodie sæpissime accidit. Nec impossibile est dictam membranam ab acri & corrupto humore in meatu auditorio latitante erodi & perrumpi posse.

Læso igitur tympano auditum vacillare & labascere posse, non improbabile est, imo necessarium consequens; quamuis Plempius, & forte pauci quidam alii, id negare videantur. Causa vero huius hæc datur, quod tympanum non tam medium absolutum & solum auditus ac soni sit, quam quod omnino conferat ad sonum refringendum, ad dirigendas ideas, ad defendendum & fouendum aerem innatum, seu ætherem impensum, spiritum animalem, ibidem stationarium vigilem, ad ossicula stabilienda, quæ membranæ huic affiguntur, ne sede sua dimoueantur, & in specie malleus, cuius motu pereunte auditum labefactari quis negauerit.

Nonnunquam actio membranæ tympani læditur & ex illo capite, quando iusto humidior existit, vt tono eius valde relaxato voces ægre & confuse percipiantur, & ita affecti in auditus difficultatem incurrant. Tale vitium in duabus personis, a laxitate tympani ortum, correctum vero strepitu & sonitu fortiori ab extra excitatis narrat Willisius cap. de auditu, vbi ait: quod illæ personæ inter pulsum tympanorum & sonitum campanarum sermones alloquentium accurate percipere, & ad eos apte respondere potuerint, cum extra illum casum nihil amplius audire potuerint. Huius rationem deducit a tympano plus iusto relaxato, soni vero vehementioris impulsu ad debitam tensionem rediisse, quo munere suo aliquatenus defungi potuerit, cessante enim hoc rursus obsurduerunt,

Laxius

Laxius tympanum euadit a madore multo intus contento, vel oleofitate auditum reftituendi gratia immiffa, quæ auditum fæpius grauem parit.

Tenditur interdum nimium membrana tympani tempore æftatis, & poft morbos acutos. Rigida nimis & exfucca quafi fi fuerit, præter detrimentum auditus facile quoque contingit ruptio ipfius.

Quibus membrana tympani craffior contigit, plerique furditate fere incurabili, communi omnium confenfu, laborant. Si vero interius mucus apponitur vel affluit craffior, grauis ac difficilis cooritur auditus; fi elafticus, tenuis, aurium tinnitus & murmura accidunt.

Concutitur non parum caput & cerebrum auditusque noxam fubit in emunctione narium vehementi, quando naribus obftructis & coryza laborantes omnem mucum vna quafi vice extrahere hoc modo moliuntur. Meminit Riedlinus lineis medicis obf. XII. Menf. Dec. anni 1697. iuuenis, coryza laborantis, qui eiusmodi forti emunctione fibi confulturus in tantam difficultatem auditus incurrit, vt non nifi alta voce loquentes vix perciperet.

Quem rei medicæ paululum peritum latet, a concuffione & vulneribus capitis fæpiffime ftrepitum, fufurrum & tinnitum aurium, nec non grauitatem auditus contingere. Felix Platerus lib. I. obferu. refert, quod quidam tinnitum aurium perceperit a cafu, temporibus fortiter contra terram illifis, vt præ illo fono exteriorem impediente nihil fere audiret.

Sonitus intra aures contingit, fi manu obturatur auris, aer enim, qui in anfractibus aurium verfatur, fua natura inquietus fe diffundere conatur; & ætheris libertas fi vllibi, fane in auribus requiritur; dum vero reprimitur etiam manu, huc atque illuc impingitur & hinc fit fonitus. Ab intrufo digito per longum tempus in

aurem in infantia surdastrum quendam factum, testatur obseruatio 17. Dec. II. Francisci Paullini, in Appendice Ephem. Germ. Dec. II. Anni II.

Flatus violenter in aurem ab extra intrusus tum alia mala, tum tinnitum & sibilum excitat. Frequentius vero tenues, subtiles, intus generati, & allisionem causantes tinnitum aurium pariunt, vnde inter phænomena a flatibus oriunda etiam soni hi aurium sunt præcipui.

Inter causas sese offert congestio humorum, seu bonorum, seu vitiosorum circa caput, a statu plethorico proficiscens. Constat enim, quod his eodem plus iusto repleto, non solum dolor capitis, sed etiam aurium in specie se exerat, inflammationis circa has partes causa, quæ interdum cum dolore summo coniuncta, & haud raro sibilum, tinnitum & pulsum intra aures producit. Fundamentum horum affectuum maxima ex parte a dicta congestione & coaceruatione humorum dependet, maiori vel minori cum impetu.

Ex reliquis ætatibus senilis his affectibus ideo præcipue obnoxia putatur, quia pauci & debiles spiritus a cerebro ad aures mittuntur. Confirmatur hoc experientia, & ab Hippocrate 3. aphor. 31. Nec iuuenes tamen, nec fœminæ immunes ab his sunt, sed iisdem quoque corripiuntur. Regionibus certis familiares sunt affectus aurium nonnulli, quod itidem experientia probatur; constat enim, quod illi qui habitant circa paludes & lacus, loca item frigida & montosa, citius & ante senilem ætatem communiter difficultate auditus afficiantur.

Aerem crassum & nebulosum, regionem austrinam, tempus austrinum, fauere his affectibus asserit Hippocrates 3. aphor. 5. Aerem frigidiorem, hyemali potissimum tempore, grauitatem auditus, & tinnitum aurium gignere, obseruationes practicorum testantur. Nec ratio deest,

fri-

frigiditatem enim actiones imminuere, frigidaque neruis esse inimica, certissimum est. Vitia vero illa ab aeris constitutione & mutatione dependere argumento est, quod hyeme obsurdescentes æstiuo tempore melius habere deprehendantur. Nec æstate & in calidis regionibus dolores aurium tam frequentes sunt, sed, si eueniant tamen, grauiores.

Cibus & potus, si in quantitate & qualitate excedente assumantur, non minus affectus hos in nonnullis subiectis producunt. Comessationes & compotationes in noctem protractæ malum hoc fouent, quippe inde coctio læditur & turbatur, caput vaporibus repletur, vniuersum corpus crudis & pituitosis succis hinc abundat, quæ si vlli parti, capiti & neruoso generi noxam afferunt. Plenitudo quoque ventriculi indigestiones & cruditates facit, & ab his vapores seu halitus peregrini ad caput adscendunt, mali huius fomes.

Excreta diu retenta vel suppressa obstructiones non tantum in toto corpore, sed etiam in capite specialius pariunt, & dehinc in auribus varia concitant symptomata. Auditum ablatum a regurgitatione fluoris albi refert obs. 171. Anni VII. Dec. II. Ephem. Germ. A mensibus subsistentibus tinnitum aurium & grauitatem auditus oriri nonnunquam, obseruavit Gregorius Horstius Tom. II. lib. IV. obs. V. & quidem in annexa epist.

Non minus obseruatum fuit, ab euacuatione nimia, vel parciori, seu artificiali, seu naturali, item a purgante vehementiori propinato, vel a vena secta hæc vitia suscitata sæpius. Sic a largiore profusione lochiorum debilitatio capitis, visus, auditus, a iusto parciori dolores capitis, tinnitus & sonitus aurium, inflationes, & erysipelatodes inflammationes circa caput succedunt, vti loquitur Excell. D. D. Stahlius P. P. Halens. Celeberrimus. Patronus & Præceptor omni cultu prosequendus, in disputatione de puerperarum affectibus p. 29. Re-

Refert Platerus lib. II. cap. V. Operum, obseruasse se difficilem auditum in muliere a partu difficili, per totum puerperium. Sic & Eph. Germ. Append. Anni VI. Dec. II. obseru. LXI. scribitur, quod fœmina quædam notauerit semper quatuor aut quinque dies ante partum notabili molestaque se affici obauditione, quod accidens vero post partum sua sponte iterum cessaverit. Enimvero in actu illo nixus tota quasi succutitur corporis & spirituum œconomia.

Neque illud silentio inuoluendum, quod sæpius a peruersa medicamentorum adplicatione non solum tinnitus, grauitas auditus, sed etiam ipsa surditas oriatur, vti exempla talia apud obseruationum scriptores annotata legimus. Riedlinus libr. supra citato meminit ancillæ dentium dolore laborantis, quæ seu iussu, seu imprudentia bombacem oleo certo imbutam auribus intruserit, quam cum diu ibi retinuisset, rursus eximere haud potuit, hinc difficultate auditus correptæ, extracta tandem bombace & adhibitis debitis remediis liberatæ. Apud Bartholinum Cent. VI. obseru. LXXVII. obseruatio hæc extat: Pastor Cimbricus in aurium defluxionibus, consilio amici, panem calidum auri dolenti adponit, quo facto auditu priuatur. Huius vero euentus ratio additur: Sine dubio nimio calore corrugauit & exsiccauit tympanum, neruumque auditorium, concluditurque, calidis humectantia & discutientia miscere consultum esse. Vsum etiam narcoticorum stuporem neruis inferre, ac sæpius hebetare & imminuere auditum, experientia haud vacat.

Surditatem piscatoribus, & illis qui frequenter in aquam demerguntur, interdum euenire solere, propter ingressum aquæ in meatum auditorium, testatur Aristoteles; quæ vero plerumque tantum transitoria est. Sæpius vero aqua frigida in aurem illabens magnum auditui affert detrimentum, non solum a frigore læsis &

affectis

affectis neruis, sed & quia aqua se insinuat in meatum auditorium intimius, vnde intemperatus redditur, nec sonus potest tubulos istos penetrare, humida enim minus sonant.

Vti vero consideratio loci & foci dogmaticos ab empiricis discernit, in praxi perutilis ac necessaria omnino: ita operæ pretium est, & in aurium affectibus visere, qui aliunde scaturiunt, & aliena sede hærent.

Sic partis mandantis vicem subit frequenter caput. Cephalalgiam diuturnam sæpius comitatur tinnitus & sibilus aurium, epilepsiæ, lethargo, phrenitidi surditas & difficultas auditus succedunt. In apoplexia non solum difficultatem auditus, sed etiam surditatem contingere nihil frequentius est. Præcedit eandem sæpius & tinnitus, eiusque species & δυσηκοΐα cum suis gradibus. In delirio & deprauatione mentis soni varii in ductu auditorio percipiuntur.

Strepitum in aure sinistra ab hemicrania sinistri lateris ortum annotauit Felix Platerus lib. II. obseru. Idem refert ex defluxione subita de nocte facta auditum in vtraque aure fere periisse, cum sono aurium, capitisque grauedine. Sibilum aurium sæpius a grauedine & coryza ortum experientia testatur. Sibilum, tinnitum, murmura in auribus, & grauitatem auditus vulnera & contusiones capitis sequi, nemo est qui ignorat.

Ab vlcere, in poro auditorio pus fundente, & cauitatem eius replente, difficultatem auditus, tinnitum & pulsum in auribus oriri, non adeo insolens est. Grauitatem auditus in famula quadam ortam ab apostemate in aure rupto, & non amplius sanie exeunte, narrat Forest. lib. XII. obseru. 15.

In syncope incipiente spiritibus retrocedentibus pulsum & tinnitum aurium sentiri, itidem asserit Platerus, & contra ea his antecedentibus syncopen sequi,

Hypochondriacis, hystericis & ventriculo laborantibus, haud raro eueniunt dicti affectus. Sane in scorbuticis & hypochondriacis, partim silentibus aliis phænomenis, partim coniunctis potissimum, non raro in auribus se exerit labes, imo in lue venerea affectis idem obtingit. Quædam ancilla diu laborauerat surditate imperfecta, varia causata, frustra adhibitis his illis. Tandem cum de latente fermento venereo suspicio oriretur, vera & genuina innotescebat causa, non minus ac remedium.

Surditatem a variolis ortam in puero X. annorum annotauit Forestus obseru. 16. lib. XII. A febribus ardentibus non modo a decubitu feri ad extimas has capitis cauernas fit solenniter auditus difficultas velut critica, si cetera puta sint paria; sed etiam constans aliis βαρυηκοΐα relinquitur, nisi vel dissipetur, vel alibi tollatur causa, iuxta IV. aphor. 60.

Morbi igitur hi & alii prægressi, & adhuc durantes vel comitati, affectibus hisce producendis sine dubio inseruiunt, de quibus legi meretur Hippocrates, inprimis in Coacis integro capite, & in idem commentarius Dureti egregius.

CAPVT IV.

Diagnosin & Prognosin affectuum aurium indagat.

EVolutis igitur & enumeratis causis affectuum memoratorum principalioribus, recto tramite ad Signa diagnostica & prognostica explicanda progredi licet. Circumstantiis si non omnibus, tamen præcipuis,

puis, bene consideratis, diagnosis læsionum aurium, tum idiopathicarum, scilicet illorum vitiorum aurium, quæ absolute, sine totius corporis vel alius visceris læsione, eueniunt, tum consensualium, seu ab illis dependentium, eruenda.

Diagnosis auris ipsius propriorum vitiorum in sensus incurrentium non multum facessit negotii. Læsiones in partibus aurium externis, vti est tumor, qui cum ardore & rubore inflammatorio sese exerit, nec minus parotides, abscessus, vlcerationes, erosiones, suppurationes, denique fluxus saniei & mador continuo stillans, quando in his partibus contingunt, neminem latere vel decipere possunt.

Superficiales igitur hæ læsiones quo magis sunt conspicuæ, eo facilius ab internis discerni possunt, optime vero in patientibus difficultatem auditus & surditatem, si cum illis sermonem miscemus, cognoscere valemus, strepitum & sonitum intra aures ab illis explorare debemus. Difficulter cognoscitur obstructio & compressio nerui auditorii, item conformatio partium auris internarum læsa, quia hæ partes omnem oculorum aciem fugiunt; suspicandæ vero harum læsiones, si hi affectus accidunt, nulla externa vel interna occasionali causa manifesta prægressa.

Consensuales aurium morbi exinde quoque cognoscuntur, & certo diiudicantur, si, vti alii morbi συμπαθικῶς coorti remediis specificis, in idiopathico affectu certissimæ efficaciæ, non cedunt. Longe aliam enim considerationem postulant affectus simplices idiopathici, quam ab his dependentes. Paucis adhuc me expediam in recensendis signis diagnosticis dictorum affectuum, quæ partim ab ipsis ægris exponi & manifestari, partim a medico visus & rationis subsidio cognosci possunt.

Phlegmonem seu inflammationem in his partibus ex-

terius adesse indicat rubor, qui & bonam partem faciei aliquando occupat, vt & calor & aliqualis inflatio. Auris inflammationem internam magis prodit dolor vehemens, & continuo pulsans nonnunquam, quia oscilla arteriolarum magis dilatantur, & sic ob angustiam velut compressa motum suum magis exprimunt; siue caliditas & rubor ad malas & tempora sese extendat, siue minus. Interdum cum febre, delirio, motibus conuulsiuis & syncope se exerit.

Dolor aurium lancinationes intolerabiles plerumque coniunctas habet, maxime si intus manet. Idem, si a frigore praegresso ortus, fixus quidem est, sed citra grauitatem atque distensionem.

Parotides inflammatas in partibus adenosis pone aures cognoscit medicus ex tumore, dolorem vero, quem inde persentit, aeger ipsemet refert.

Obstructionem in neruo auditorio & internis ductibus factam praegressi vel praesentes morbi (absente externa causa) denotant, v. g. capitis dolor diuturnus, lethargus, apoplexia & affectus similes. Externa vero obiecta obstruentia varia, causae praegressae, & fouentes, humorosae & vaporosae elasticae, vel mixtae quoque erutae, magis haec illustrant. Conformatio partium externarum aurium laesa mox animaduertitur, sed interiorum partium laesio sensus fugit, colligenda aliunde, maxime si generosa remedia non iuuent, si a primo ortu malum durauerit.

Auditus deprauati signa a patiente ipso exponuntur. Sonitus aurium, qui a ventriculo flatus generante ortum suum agnoscit, exserit se vtplurimum cum dolore praecordiorum, cruditatibus, nausea, inappetentia & vomitibus. Idem vero conuenienti adhibito remedio stomachico facile tollitur & euanescit. Hoc vitium auditus a ventriculo dependere inde colligitur & cognoscitur, quia vtplurimum cibo cocto & euacuato stomacho

melius

melius audiunt hoc laborantes, contra ea peius, si pleno & crudo ventriculus adhuc abundat.

De prognosi affectuum aurium in genere hoc tenendum, quod læsiones aurium & auditus grauiores minus promptam ac facilem curationem habeant, ob ipsius situm & figuram organi; partes enim præcipuas habet absconditas, vt ægre illis remedia adplicari possint, præterea partes ipsius acri sensu gaudent, mollesque facillime lædi solent. Constat insuper experientia, quod partes auris, quæ magis ad actum audiendi concurrere assolent, noxam quandam passæ, ob tenerrimam ipsarum texturam, sponte quidem ægerrime, arte vero seu beneficio medicamentorum prorsus fere restitui nequeant, sed frequenter, his partibus si labes affricata fuerit intimior & centralis, incertæ curationis & ancipitis euentus prognosis edicenda.

Parum admodum solatii & spei in arte existit, quando neruus acusticus læsus, vel membrana tympani vulnerata, arrosa vel rupta fuerit. Relaxata vero plus iusto, vel medicamentis humidioribus & frigidioribus, vel tempestate pluuiosa & nebulosa, aut nimis tensa membrana, mutata aeris qualitate & ægri dispositione sua sponte sæpius pristinum tonum recuperare solet.

Læsiones auditus, ab obstructione meatus auditorii obortæ, pro rei intus generatæ, vel ab extra immissæ conditione, grauia symptomata haud infrequenter concitant; quo facilioris vero sunt remotionis, eo promptioris quoque curationis prognosis promittenda.

Porro quando aurium vitia desubito & velut ex improuiso coorta fuerint, vel iam diutius durauerint, hinc modo neglecta, modo præposteræ ipsorum curationes susceptæ fuerint, successu temporis obfirmantur & radicantur, quin, partibus inprimis tenerioribus, maius damnum inducunt, & remedia adhibita respuunt, tractatio-

nis difficilis & euentus impediti prognosin merentur, quæ non solum de his affectibus, sed etiam aliis his similibus valet.

Difficilem tractationem & restaurationem inueniunt pariter illæ læsiones aurium, quæ directe & principaliter aures afficiunt, præ illis, quæ ex accidenti & secundario aliunde auribus noxam inferunt: illæ quippe ad causæ ablationem cedere consueuere. Vti enim accessorium sequitur suum principale, ita & communiter morbis principalibus sublatis minus principales sponte sua cedere solent.

Conformationis partium auris, solidarum maxime & propriarum, insignis læsio, propter accessum impeditum & medico denegatum, reparationem in integrum penitus eludit. Leuis quidem noxa partium huic sensui inseruientium in iunioribus & vegetioribus fortassis corrigitur, in adultis fere nunquam. Quando illæ ortæ ab vsu frequentiori & assiduo, nimirum adplicatione ad res valde sonoras, & non diutius hoc malum passi fuerint patientes, abstinentia, & parciori vsu interdum restituuntur. Hæc igitur aurium vitia, quæ absque reliquarum partium corporis damno accidunt, & ab occasionalibus externis solum causis originem habent, dubiæ & difficicilis restaurationis prognosi ansam præbent.

Diuersæ etiam considerationis sunt affectus hi aurium, prout vel sibi relicti sunt, vel superueniunt aliis morbis, quorum prognosin hinc modificant, & vel diuturnitatem, vel finem seu salutarem, seu lethalem denunciant. Spectant vero hæc maxime ad febres, adeoque minus iam sunt nostri scopi, vbertim recensita hinc inde apud diuinum Senem. Liceat saltim illud tangere, ex Hippocr. lib. I. Prorrhet. Sect. I. aph. 32. & 2. cap. V. prænot Coac. Surditas in morbis acutis & turbulentis consequens, mala est. Et 1. aph. cap. V. Auris dolor pertinax cum febre

acuta,

acuta, & alio quodam ſigno, aliquantum malo, iuuenes quidem intra ſeptimum diem occidit, & citius delirio correptos, niſi multum pus effluxerit ex aure &c. Si enim pus album ex aure effluxerit, & alia bona ſigna adſint, bonus euentus ſperandus. Quo remotior ergo a ſtatu naturali eſt etiam aurium morbus quilibet, quo ſymptomata grauiora, eo reſpectiue vel peior eſt, & grauior, vel rebellis ſaltim, & minus mobilis ac cedens. Alii acuti ſunt, vt dolores, alii chronici, vt tinnitus, eiusque ſpecies & gradus, qui pro horum modulo variant quoque.

Soluuntur nonnunquam, iuxta Hippocratem ipſum, per eruptionem puris ex aure, vel fluxum narium aliumue. Vir ſummus otalgia correptus, eaque atroci, vt lachrymæ etiam exprimerentur ab accenſis dolorum facibus, fortiſſimo alias animo, leuamen ſentiebat præſentaneum, cum in abſceſſum abiret, in fauces ſenſim per meatum illuc euntem eructatum. Idem & in aliis factum, notatumque non ſemel. Sic rubor, ardor & dolor in inflammationem, hæc in ſuppurationem, huius reliquiæ aut aliæ feroſiores diuturniores ſtaſes in abſceſſus & vlcera, hæc & acrium humorum affluxus latius ſe diffundunt, & in eroſionem tranſeunt & terminantur. Et tales alii ſunt critici, iuuantes, ceſſantes, alii ſymptomatici & producti. Quod ſi vero affluxus hic, pro partium vicinarum diſpoſitione, maior ſit, ſi corpus cacochymicum, ſi pars affecta effœminata & debilitata magis, diutius durare & continuare ſolet effluxus, adeo vt demum in conſuetudinem abeat, niſi tempeſtiue debitis remediis cohibeatur & ſedetur.

Eryſipelas in partibus aurium externis, non minus ac faciei, ab extra introrſum verſum peſſimum minatur euentum, in phrenitidem abire promptum ac conuulſiones. Vid. 6. aph. 25.

In genere affectus aurium in ætate incrementi, infantili,

fantili, puerili, adolescentiæ frequentiores sunt, sed facilius tolluntur; in senibus rariores, sed partim periculosiores, partim longiores & συναποθνήσκοντες, commorientes, quoque obseruantur. Sæpius vero post curationem difficultas auditus remanere solet.

Parotides aliæ frigidorum & chronicorum sunt ex classe, aliæ acutorum & calidorum. Frigidæ, a συναθροισμῷ lymphæ viscidæ eccentricæ distendentis oriundæ, mora egent, aliquando etiam gallicæ sunt, satis rebelles & diuturnæ, non minus ac scorbuticæ. Visæ vero etiam mirum quantum excreuisse diffusæ, in scirrhum versæ & incurabiles omnino, imo & hecticam post se trahentes tandem. Calidæ in febribus mali moris, & mali ominis sunt vtplurimum, in febribus malignis, vel peste ipsa, peiores bubonibus. In genere aliæ possunt dissipari, aliæ suppurari, quæ sunt in bonis habendæ, facto πεπασμῷ, si materia a natura per modum criseos huc transfertur, concoquitur & suppuratur. In reliquis contrarium obtinet. Adeoque tardantes & productæ tædiosæ, maxime in principio neglectæ, acutæ periculosæ.

Abscessus si in auribus eueniunt ante signa digestionis, cum aliis malis signis, admodum periculosi sunt. Si vero digestione peracta & per modum criseos, cum aliis bonis signis, curationem admittunt, bonam prognosin merentur. Conferantur hanc in rem aph. 17. 18. & 19. cap. V. prænot. Coac Hipp. ex edition. Joh. Opsopœi.

Vlcera aurium, ab inflammatione vel acriori lympha orta, facile in fistulam degenerant, (cuius prognosis extat in aph. 14. c. XXIII. prænot. Coac.) aut hypersarcoma auditum obturans inferunt. Sanies quando affluit, fit id interdum cum leuamine, interdum vero, cessante fluxu, varia symptomata nascuntur. Si interiora occupauit, tympani membranam haud raro putredine corripit, nam glandulæ quæ saniem stillant, siccari renuunt.

Obser-

Obſeruatum quoque eſt a medicis, quod vlcera in du-ctibus oſſeis excitata curationis difficillimæ ſint, non ſolum in narium & ſaliuæ canalium vlceribus, ſed etiam in auditorio meatu, inprimis cum magnam materiæ purulentæ copiam dimittunt, & hæc materia continuo irritat glandulas ad effundendum liquorem e canalibus ſuis excretoriis, cuius acrimonia impedit conſolidationem. Hinc Sennert. Prax. lib. I. Part. III. Sect. III. inquit: Vlcera aurium, quæ ad os cranii pertingunt, raro aut nunquam curantur, & Hippocr. Lib. VI. Sect. 6. Epidem. ait: Propter aures & ex auribus plerumque tertia die moriuntur.

Sibilus & ſtrepitus in auribus vel ſponte cedit, vel leui opera tollitur. Sibilus aurium leuiſſimum quidem eſt vitium, ſi a grauedine ortum ſuum ducit; peius, vbi ex morbis capitis eiusque longis doloribus contingit; minus curabilis, ſi a magnis morbis prouenit, & multos annos iam durauit. Videas tamen etiam in ſcorbuticis ac hypochondriacis per plures annos ſine noxa eosdem percipi, & vel neglectu curandos magis, quam religioſo ſtudio.

Tinnitus aurium ex frequenti percuſſione capitis ortus non facile ſolet curari, & vertitur vtplurimum in ſurditatem. Tinnitus & ſonitus aurium antiqui curatu difficiles & periculoſi ſunt. Sibilum & tinnitum aurium præludium ſurditatis eſſe, effatum eſt vulgi, & experientiæ maxime conforme. Si aurium ſonitus cum dolore capitis & fortibus percuſſionibus in temporibus contingit, minatur inter alia etiam ſurditatem, quia aliunde humores præ nimio illic dolore abunde defluunt ad auditus organon.

Surditas natiua & grauitas auditus ab ortu incurabiles. Recenti vero & ſurditati & grauitati auditus facilius reſtitutio promittenda.

Surditatem, quæ per biennium & vltra infeſtat, præſidia medica reſpuere, propter partis debilitatem, & quia af-

fectus iam in habitum transiit, Solenander in Consil. Med. Forest. in obseru. & alii contendunt. Seu in genere, quo longius durauit, eo difficilius est curatu.

Surditati a læsione continuitatis, a casu, ictu, contusione partium propriarum organi auditus ortæ, mederi non licet. Surditas per se independens est curatu difficilis, contra consensualis communiter curato morbo principali euanescit: ast in morbis acutis & longis, v.g. in ileo, lethalem edicit Hippocrates.

Vltimum addo, si vitia hæc aurium remediis probatis non corriguntur & emendantur, minus vero tolluntur, sed e contra successu temporis exacerbantur, & multa alia incommoda post se trahunt, prognosin sinistram inferunt.

CAPVT V.

Tradit Therapiam affectuum aurium in genere.

QVandocunque igitur horum affectuum vno vel altero correpti opem Medici implorant, probe ille pensitare debet circumstantias, læsiones vel vt iam inductas, vel adhuc inducendas, harumque causas antecedentes & occasionales præcipuas nosse, ex qua notitia hæc principalis indicatio resultat, num illarum læsionum tractatio præseruatiue, an curatiue instituenda & suscipienda.

Ex causis primaria absque dubio est congestio & coaceruatio humorum, non solum in toto corpore, sed etiam in his partibus varios effectus excitans, præseruatiue tractanda, scilicet diuertendo & intercipiendo vlteriorem affluxum, vel, pro rei exigentia, imminuendo per conuenientia remedia.

Va,

Valet etiam hic, quod in aliis corporis morbis obseruandum, vt antecedentium & materialium causarum subtractionem, si res postulat, debita quantitate, iusto ordine & tempore, loco apto, & conuenienti præscripto auxilio instituere & iniungere peritus medicus sciat.

Sed ad curam præseruatiue rite instituendam, quæ affluxum humorum extraordinarium inhibet, me iam conuertam, vbi sciendum, quod hic vel immediate ad has partes, vel solum ad caput multis de causis citari & ex vniuerso latifundio huc regurgitare possit. In vtroque casu vniuersalia præmittenda, indicat enim collectio & redundantia humorum modo plethoram, modo cacochymiam, cui occurrendum vel imminutione vel correctione ipsius.

Hinc V. S., scarificatio, hirudines, cucurbitulæ, vesicatoria, setaceum, purgatio & laxatio alui, pro sanguinis, seri & lymphæ abundantia, locum inueniunt, imo pediluuia & fonticuli, si malum inueteratum, mira in his affectibus nonnunquam præstiterunt. Sic mulierem tinnitu aurium laborantem cucurbitularum, scarificationis & balneorum vsu, tempore autumnali instituto, fuisse restitutam, testatur Platerus lib. II. cap. II. Praxeos. Scarificatio suscipitur circa venas iugulares in collo, cucurbitulæ etiam hic & in scapulis adplicantur. Hirudines collo adplicantur, vel pone & subter aures potius, sanguinem ad proximas partes deriuandi gratia. Surditatem in iuuene V. S. sublatam refert obseru. 101. Dec. 1. An. I. Ephem. Germ. Auditum gauem, a pituita meatus obsidente ortum, purgantibus curatum asserit Achilles Gasserus in obseru. med. LXI.

Taceo cucuphas, frictiones capitis, suffitus, emunctoria, masticatoria, sternutatoria &c. in his affectibus non contemnendæ efficaciæ. Per nares enim & os excrementa cerebri euocantur eoque alliciuntur, vnde magna sæpe reuulsio & quædam interdum expurgatio contingunt; nam per masticatoria excernuntur serosa cerebri ex-

crementa, & reuelluntur, ne adeo ad aures fluant. Errhina interdum idem præstant, & valida per nasi emunctionem aeris excussio. Longe præsentius id præstant sternutatoria, quæ sæpe ab auribus flatum & humorem per eandem viam, scilicet nares, educunt, nec minus corpora in aurem illapsa illorum ope foras eiiciuntur.

Sacculi cephalici & suffitus in his affectibus non sunt de nihilo. Hi enim in aures immissi plurimum iuuant, quippe interiora subeunt, v. g. ex croco, myrrha, storace, benzoe, lign. aloes, thure &c. illi vero caput roborant.

Enimuero hæc vniuersalia, vti communiter vocari solent, respectu habito simul dispositionis & virium patientis, morbi impetus, & remediorum efficaciæ, adhibita, euacuatione generali e toto corpore abundantem humorum copiam educunt, massam vniuersam corrigunt, motus propter dyscrasiam susceptos & imminuunt & corrigunt, stagnationes speciales dissoluunt, & quandoque præoccupant.

Affectus hi haud raro ab intermissa euacuatione seu naturali seu artificiali oriuntur, maxime si patiens ipsi per aliquot annos adsuetus fuerit, vbi consuetudo peculiarem indicationem præbet. Sic V. S. scarificatio, vesicatoria &c. sæpius hæc mala auertunt & tollunt (præseruationis & curationis scopo adhibita,) dum motus hæmorrhagici ad caput tendentes, vel sanguineo-lymphales congestiones circa caput pertinaces ablegantur, quo exitum debitum consequantur. Talia ergo vitia, ab euacuatione solenni cohibita & suppressa exorta, dictis auxiliis oppugnare certo tempore & loco non solum vtile, sed prorsus necessarium. Tanta vis inest consuetudini, vt si euacuationes consuetæ intermittantur vel negligantur, sensim non solum affluxus ad caput, sed & ad has partes contingat, affectusque hi denuo obrepere soleant, repetitis vero illis in momento quasi euanescant.

Hactenus prolata dicta sunto de cura præseruatiue instituenda, & remediorum vniuersaliorum legitimo vsu,

quan-

quantum adiumenti præstent in hisce & aliis morbis, si non penitus tollendis, minimum tamen corrigendis. Felix sane ille medicus est reputandus, qui nouit verum vsum vniuersaliorum, in horum enim adplicatione maximum praxeos momentum situm est, sed non promiscue dicta vniuersalia & semper sunt præmittenda, nisi causæ materiales, tanquam fomes horum vitiorum, sint remouendæ & subtrahendæ.

Considerandum porro in dictorum affectuum curatione, quænam præsidia singulis conueniant, & ex quibus fontibus ea sint petenda, alii enim tantum operam chirurgi exposcunt, alii cum manuali opera pharmaceuticis internis opus habent, alii ex triplici fonte, chirurgico, pharmaceutico & diætetico, auxilia exigunt.

Quando igitur affectuum aurium materiales & occasionales causæ, vrgente sic necessitate, per legitimum vniuersaliorum vsum sublatæ fuerint, fatendum quidem primario scopo esse satisfactum; attamen cum hi affectus illorum remediorum vsu non penitus tollantur, sed adhuc alias medicationes postulent, insuper nonnulli his plane non indigeant, ideo peculiaribus eorum indicationibus curatiue obuiam eundum per conuenientia subsidia. Conabor iam eorum generales indicationes paucis regulis includere & singulis debita remedia indicare.

I. Congestiones, collectiones, & restagnationes in ipsis aurium partibus & vicinis, quæ tumores, inflammationes simplices & erysipelaceas pariunt, (quibus & parotides accensentur,) resoluendæ & discutiendæ. Resoluentibus & discutientibus, emollientia, maturantia & suppuratoria succedunt. Vitanda vero adstringentia & repellentia.

Conueniunt hinc interne ℞ a bez. Wedel. Michael. ess. myrrh. & quæcunque lenem diaphoresin excitant. Externe laudatur sacculus ex herbis neruinis & discutientibus impositus, v. g. herb. cham. malu. C. B. centaur. min. fol. malu. fl. salu. samb. melilot. anth. bacc. laur, & 4. sem. carminat. quod remedium tutissimum. Inflammatio si valde vehemens

 est

eſt, eaque externa, ad illam mitigandam proſunt refrigerantia ſic dicta, ex ſpermate ranarum & ſaturninis, qualis eſt puluis eryſipelatodes Mynſ. Ludou. & conſimiles cum fl. ſambuc. ſem. lycop. ſperniol. Cr. & aliis.

Parotides, tumoris & inflammationis ſpecies, eadem methodo tractandæ. Reſoluendi fine adhibetur ſacculus ex neruinis & odoratis, vti ſunt fl. cham. melil. ſerpill. ſem. fœn. græci, gummata temperata, ammon. bdell. &c. Diſcutit vehementer mel cum rad. iridis, aut galbanum cum oleo laurino. Emollitio & maturatio poſt hæc tentanda empl. de meliloto. Cataplaſma vulgatiſſimum emolliens fit ex mica panis albi, cum vitell. ouorum & pauxillo croci, coquendo cum lacte.

Proſunt quoque huic ſcopo mucilaginoſa & pinguia, vt empl. de mucilag. axung. neruina empl. diachyl. ſimpl. & cum gummatibus, præcipue ſi inflammationis gradus minor fuerit. Omnino enim ratio hic habenda inflammationis, vbi & 🜄i camphoratus illitus non contemnendus eſt. Commendatur quoque linimentum ex oleis temperatis, v.g. ℴℴ amygd. dulc. cham. lilior. melil. quæ inflammationem diſcutiunt.

Vti vero repellentia improportionata facile noxam inferre norunt; ita nec pinguibus vnctuoſis & oleoſis in inflammationibus hiſce, vbi diſcuſſio ſperari poteſt, locus eſt commodus, quandoquidem poris obſtructis tranſpiratum remorantur, & ex hoſpite facile incolam reddunt.

II. Tumores tales particulares maturi & aperti vel arte vel ſponte ſua, in abſceſſus & vlcera abeuntes, mundantibus, detergentibus & conſolidantibus debitis tractandi.

Ruptionis promotionem præſtant fermentatiua efficacia prædita, in ſpecie mel, triticum maſticatum, fermentum piſtorium, farina melli mixta. Tacemus theriacam ipſam, polychreſtam etiam externa applicatione, per ſe, & cum ficubus, & ſimilibus. Maturitas abſeſſus cognoſcitur ex mollitie inſigni tumoris, qua facile & apertio fieri poteſt, ſi ſponte non ſuccedat.

Pus promouent ℴℴ amygd. amar. cum mucilagine ſem. lini, quod puris affluxum egregie ciet. Abſtergunt & detergunt probe ſuccus abſinthii, apii, cent. min. digeſtiuum ex

vitello oui, melle & pauca terebinth. vniuersam abstersionem peragit, & interdum sponte restauratio sequitur. Conducit & immissio guttulæ vnius vel alterius de essent. balsam. myrrh. croc. & succini in foraminulum, quæ non solum mundat, sed etiam corruptionem impedit.

Abscessu aurium perrupto, & sanie effluente, purgandum vlcus melle rosato instillato. Absterſum sic vlcus consolidant balsamica & carnem generantia, ex quibus pompholyx, aloe & myrrha præcipua sunt.

III. Dolores & irritationes spasmodicæ, in exterioribus aurium partibus ortæ, mitigandæ & sopiendæ neruinis, paregoricis, atque anodynis.

Mitigant sacculi paregorici calide admouendi, ex rad. galang. fl. cham. & herb. verben. melil. sem. papau. bacc. laur. ⊖ commun. &c. Præstant sicca præ humidis, non tamen hæc prorsus sunt reiicienda, quippe infusum lactis, album. oui, cum oleo rosarum vel ℴℴ amygd. & alia olea paregorica, v. g. ℴℴ sem. anis. hyos. papau. rh. insigniter dolores leniunt.

Commendatur a nonnullis axungia gallinæ inuncta. Consopitur etiam mirifice dolor aurium ab vnguento alabastrino & dialth. Nec interna, quæ causam respiciunt, sunt omittenda.

IV. Ductus & meatus obstructi referandi, ab extra immissa corpora, vel illapsa animalia eximenda, intus vero generatæ excrescentiæ fungosæ, & his similes, emollientibus, ligaturis, sectione, raro septicis & causticis auferendæ.

Quæ hactenus dixi, ad affectus aurium superficiales pertinebant, nunc illi, qui interiores aurium partes occupant, sunt considerandi. Obstructio si a causis internis, humoribus crassis, pituitosis &c. contingit, attenuantibus & aluum laxantibus tollenda est.

Quando vero aliquid extrinsecus in aurem illapsum fuerit, (quemadmodum id sæpius obseruatum fuit,) & auditum imminuit, indicatio primaria absque dubio hæc erit, molestum esse eximendum. Corpora dura, vt lapides, nuclei & reliqua, non solum quia ductus obstruunt, sed quia simul

ob asperitatem lædunt, sunt eximenda. Nec minus illa corpora, quæ humore vel vapore irrorantur, & illum imbibunt, quamprimum auferenda, quia turgescunt & maiora fiunt, vt hinc difficulter extrahi queant.

Auferuntur vero corpora illa dura triplici modo (1.) Eluendo, scilicet liquore lubricante, v. g. ℴℴ amygd. dulc. vel amar. butyro, lacte, vt relaxentur meatus, & instrumento apto eo promptius eximantur. (2.) Excutiendo, per sternutationem, seu natura, seu arte excitatam. (3.) Extrahendo, instrumento conuenienti. Cauendum vero, ne illud contentum plus introrsum propellamus, vt postea maiori labore indigeat. Sordes auriscalpio & corpora dura hamo, forcipe vel vncello obtuso & paululum incuruato, vel alio ad id adaptato instrumento eximuntur.

Animalia illapsa, vel intus generata, aliter tractanda. Inuitantur hæc ad exitum & alliciuntur foras dulcibus, si vero firmius inhæreant, necanda sunt. Huic scopo satisfaciunt amara, vt succus absinth. centaur. min. fella, aloe. Acria idem præstant, vt succus pini, ✠tum cum scammonio, item saliua ob viscideditatem, vrina ob acrimoniam laudantur, & hinc extrahuntur instrumento. Nonnunquam & specillum lana inuolutum, & oleo vel alio liquore viscoso imbutum, in aurem immittitur, vt adhærescant animalia & foras vna educantur.

Excrescentiæ & protuberantiæ fungosæ in auribus enatæ tractantur ab autoribus emollientibus amaris, ex quorum classe sunt ℴℴ amygd. amar. nucl. persic. medull. colocynth. aut succus cucum. asin. Ligatura & exscisio scalpello interdum sufficiunt.

Huc spectat inflammatio glandularum in meatu auditorio latentium, quarum etiam intumescentia si obstructionem efficit, prosunt itidem ℴℴ amygd. dulc. instillatum, quod egregie demulcet, decoctum hordei & agrimoniæ, quod detergit & exsiccat, nec non pristinæ magnitudini restituit, ex commendatione *Du Verny l. c. cap. 3.* vbi plura, quæ huius curationem absoluunt, videri queunt.

Mem-

Membrana, quæ ductui auditorio aliquando obduci solet, remouetur instrumento apto. Caustica & septica præsidia minus tuto adhibentur, quia organo adeo sensibili facile noxam afferre solent.

V. Viæ & ductus p.n. aperti, quantumcunque fieri potest, claudendi, vel saltim in eo statu conseruandi, ne ampliores fiant per auxilia conuenientia.

Pertinent huc abscessus, & vlcera laudata. In aurium ossibus cariei ortæ, ex obseruatione Du Verny, curationem hic adscribere, non inutile iudico. Adhibuit vero linimentum ex ▽ imperiali, in qua camphoræ momentum dissolutum erat; hinc vsus puluere euphorbii, ex quo optatum euentum persensit: impediebatur enim hoc modo excrescentia carnis. Præterea euphorbii Ram ♄i extractam, additis myrrha & aloe, in vsum vocauit, quæ vel sola hunc affectum sustulerunt. Si locus sit fistulatus, iniiciatur in aurem fel tauri & vrina pueri, ceterum tractanda hæc fistula vti reliquæ.

VI. Caput, ventriculum, hypochondria, in fœminis vterum, & morbos præsentes respicere debemus in curatione affectuum aurium, quippe sæpissime fomes & fundamentum vitiorum auditus in his latent.

Frequenter vitia hæc symptomata morborum reliquorum sunt, quæ peculiarem medicationem non exigunt, partibus enim laborantibus & morbis prægressis occurrendum, remedia vero, quæ hic locum inueniunt, sub suis loculis & in practicorum libris extant, exinde huc referenda. Sufficiat vero in genere indicare aperientia, attenuantia, cephalica, carminatiua, hypochondriaca, antiscorbutica, stomachica, vterina, roborantia, & quæ causis morbificis obuiam eunt, hic maxime esse proficua. Quod si a lue venerea traxerint originem aurium affectus, & illi seorsim succurrendum.

VII. Auditus deprauationi, imminutioni nec non abolitioni quantocyus & quibuscunque auxiliis & subsidiis tum internis laudatis, tum externis obuiam eundum.

Imminutionem auditus leuant & emendant externa adminicula. Sic legimus Hadrianum Imperatorem sermones

alloquentium non recte percepisse, nisi manum cauam obtenderet auri, qua sonus quasi augeretur.

Huc spectat illa historia, quam refert Ianus Nicius Erythræus Pinacoth. part. 1. imag. 73. p. 133. de Ioh. Baptista Lullio Nursino, ICto & Poeta, quod cum cœperit ab anno ætatis suæ 40. audiendi facultate carere, necesse habuerit parua tuba, ex argento facta, auribus admota, loquentium voces excipere. Simile instrumentum ad acutius audiendum fabricant Hispani ex argento vel cupro, & Sarbatana vocant, idque in defectu auditus secum gerunt, vt myopes ocularia. Hœfferus Tom. I. Hercul. Med. L. 1. c. 9. p. 55. tale se vidisse apud Hispanam mulierem testatur, atque dicit fuisse instar infundibuli, cuius amplior pars obiiciatur secum loquentibus, angustior autem auribus propriis adplicetur.

Noui amicum grauitate auditus laborantem, qui instrumentum acusticum ex cupro sibi parari curauit, quod paululum concauum totam aurem tegit, in antica parte aperturam habet, per quam sonus transit, hicque colligitur ante ingressum in meatum auditorium, gerit hoc absque incommodo sub capillitio, indeq; leuamen in audiendo se percepisse asserit.

Ex fonte pharmaceutico laudantur inprimis ▽ apopl. acouist. Mindereri, ess. ad audit. Mich. castor. ♉i otalg. Myns. ambra vel moschus auri impositus, fel animalium, & ex his parata.

Olea auribus tutius quam oculis adplicantur, ex quibus præstant ○○ amygd. amar. nardi & per destillationem elicita, olea enim sunt efficacissima præ omnibus aliis medicamentis, ex calidis odoratis plantis & seminibus, vt rosmar. salu. rut. sem. carui fœnic. bacc. laur. fl. spic. vel etiam aromaticis aliis veris, quæ tamen raro per se, sed mixta & didita aliis liquoribus vtplurimum adhibentur, ne acrimonia sua lædant.

Tempus & charta ferme deficerent, si omnia præsidia acustica, tam simplicia, quam composita, quibus Practicorum libri repleti & referti sunt, recensere vellem. Multa remedia & formulas ad dolorem, tinnitum aurium, & grauitatem auditus congessit Gregorius Horstius in Append. Tom. III. lib. II. c. IV. de tuenda valetudine p. 204.

Axun-

Axungiæ anguillæ cum ipsius felle efficaciæ insignis in auditus difficultate meminit Franciscus Paullini in Append. Anni II. Dec. II. Ephem. Germ. Villica, inquit, difficilem auditum sola pinguedine anguillæ cum felle eius remixta, & gossypio parti affectæ adplicata, intra triduum in puella Northusana emendauit, vt promptius & acutius hinc audiret.

In surditate commendatur admodum vrina leporina, seu seorsim, seu cum V̸i, auribus calide instillata, cuius frequentior vsus multis opitulatus fuerit, de qua obseruationem notabilem refert Tulpius lib. IV. cap. 6.

Fatendum vero, quod specifica remedia in affectibus aurium perrara sint, &, quæ pro talibus venditantur, sæpissime fallant & spe sua excidere faciant medicos & patientes, quod sine dubio inde venit, quia talia, in certis saltim casibus proficua, pro vniuersalibus accipiunt, & autores reticent modum adhibendi, tempus quo adhibenda, locum cui adplicanda, & ordinem cui insistendum, hinc illi præposteri effectus!

Addendum & hoc, cum auris organon valde sensibile sit, cauenda esse medicamenta acria, nimis calida & frigida, superuacua, intempestiua, & ancipitis efficaciæ, quoniam horum adplicatio sæpius effectum contrarium edit, auresque modo molestat, modo insigniter lædit. Tutius quoque & consultius, vti in aliis morbis, remedia frequentiora & sæpius mutata omittuntur, quippe obseruatione peritorum medicorum constat, melius sese habere aures, modo occasionales causæ vitentur, & corporis constitutio salua, in eoque statu diutius permanere, cum contra, continuo & impertinenti medicamentorum vsu, tantum abest, vt in melius, vt potius in peius affectus aurium vertantur non raro.

Restant pauca, quæ vsum rerum nonnaturalium siue diætam concernunt, quam affectibus aurium correpti, vel ad illos proni, obseruare debent, vbi præcipua tantum ex iuuantibus & nocentibus breuibus indicabo.

Aerem frigidum & humidum, quia non solum causa horum vitiorum existit, sed etiam nonnunquam ea auget, fugiat æger. Huc spectat & regio nimis frigida, frigida enim cerebrum & instrumentum auditus lædere experientia constat. Aer sit calidus & siccus;

idem tenendum de regione. Auster, nebulæ & tempestates nebulosæ sonos obtundunt & retardant, & hinc auditum hebetant, quantum possibile vitandæ. Australes ventos visui & auditui nocere, contra ea aquilonares prodesse ait Hipp. Partibus aurium etiam exterioribus affectis vel læsis, frigoris, caloris & venti frigidi vehementem appulsum infensum esse, multiplici experientia constat.

Porro in his affectibus cibi omnes, qui cruditates & crassos succos gignunt, & hinc vapores ad caput mittere solent, inprimis allium & cæpæ, vitandi. Abstinentia ideo ab oleribus & leguminibus, quia vapores multos generant, suadenda. Vitetur varietas ciborum inæqualis, vt & salsa & nimis aromatisata.

Tenues & εὔχυλοι cibi, & qui facile concoquuntur, præstant. Verbo tenuis & humectans victus conuenit, inprimis si vitium in ventriculo hæret, addendum anisum, fœniculum & coriandrum.

Potus vini meracioris, crassi aut generosi, fugiendus, cauendæ crapulæ, quibus vapores ad caput & aures mittuntur: suspecta esse debent quæcunque caput turbant, sobrietas vero maximopere commendanda.

Exercitationes matutino tempore institutæ, capite inprimis euacuato, vtiles, a cibo vero nimiæ noxiæ sunt. Omnes animi curæ ablegandæ.

Fugiendus est nimius somnus, maxime diurnus, & vespertinus statim a cœna. Vigiliæ quoque & lucubrationes intempestiuæ, quæ coctionem turbant, & cruditates pariunt, multum nocent. Seruanda aluus aperta. Sin a repletione vitia auditus oriantur, & aluus siccior paulo, emolliendа & euacuanda. Venus valde inimica auribus, hinc sola nonnunquam solet excitare sonitus aurium.

In illis rebus, quæ sensum auditus feriunt, cauendum, ne vsu ipsarum inconuenienti, constitutionem aurium & auditus plus iusto fatigemus & oneremus, nimirum intempestiua adplicatione ad res valde sonoras, quies potius concedenda, per moderatum & decentum vsum. Vltimo vitentur, quæ quocunque modo externis iniuriis ansam hisce affectibus præbere solent. Et hæc pro scopo nostro hac vice sufficiant.

SOLI DEO GLORIA.